

✓
oo "llii

art. Nr. 406

Calixtus, J.

n. 21 weitere handschriften

darunter unter v. J. Calixtus

(6, 8) - (13) - (15)

* 90
p. 10

P. VII. 86.

Θεὸς οὐρανὸν παράμα

DISPUTATIO INAUGURALIS,

super commatibus ultimis, 26. 27. 28. Psalmi
centesimi secundi instituenda,

Quam
Permissu ac indultu Veneranda Facultatis Theo-
logicae in incluta Academia Jenensi,
Præside

Viro plurimum Reverendo, Amplissimo atq. Excellentissimo

DN. IOHANNNE TOBIA

MAJORE, SS. Theol. D. celeberrimo, P.P.

Stipendiatorum & Alumnorum Ducalium Ephoro emi-
nentissimo, Præceptore & Promotore suo æternum
devenerando,

A. D. XV. Decembris

In Auditorio Majori, horis

ante- & pomeridianis,

pro gradu & titulo

LICENTIATI

in SS. Theologia ritè
obtinendo,

publicè

examinandam exhibet

ANDREAS WECKMANN, SS. Theol. Baccalaureus,

Pastor primarius Ecclesiæ Crimmizensis.

Charactere SENGENVV ALDIANO exscripta.

ANNO M DC LI.

V I R O

Generoso, Nobilissimo, maximeq; strenuo,

Domino

CAROLO BOSEN,

Hereditario in Neschkau / Christ. & Schneckenrun /
Schweinsburg / Lauterbach / Schiedel / Breitung / Fuchshain /
20. Domino in Myla, Elsterberg / Lengefeld & Crimmitschau etc. Chiliar-
cho & equitum & peditum Serenissimi ELECTORIS Saxonis fortissi-
mo, ut & Quaesturarum Cygnensis & Werdavienfis Capitaneo
prudentissimo,

Domino ac Patrono suo gratioso,

*debitae subjectionis & observantiae monumentum
erigere, nec non gratitudinis memoramentum
relinquere debuit, voluit*

NOMINI EJUS

priscâ solduriorum lege addictissimus
ac devotissimus

Andreas VVeckman.



ANTELOQUIUM.

I.

SCitum oppidò Ebræorum est di-
cterium, quod legitur in *capitulis Patrum*
פרקי אבות, capite quarto: העולם הזה
דומה כפרוזדור בפני העולם הבא: התקן
mundus | hic עצרך כפרוזדור כרי שתכנס לטרקלין:
similis est vestibulo alicujus domus, respectu mundi fu-
turi: prepara te itaque in antitriclinio, quod Græcis πρὸ-
θύρον dicitur, ut possis aliquando in ipsum τεμαλίσιον, vel
conclave, ingredi.

II. Per mundum presentem nihil aliud intelligunt,
quàm *σεσέωια* hoc adspectabile, *cælum*, & insimul *ter-*
ram, ut hodiè existunt; per futurum autem, *vitam eter-*
nam, quam in altero demum seculo expectamus. Est
etenim *hoc seculum*, in quo vivimus, *hic mundus*, quo in-
degimus, tanquam *transituri* & *viatores*, quasi vadum
aliquod & via ad immortalitatem ac aternitatem, seu
mundum futurum, in quo pii aternùm vivent.

III. Haut absimili loquendi genere utitur Apo-
stolus II. ad Corinthios V. ubi *hominem*, qui *μακροσ-*
μῶς, ratione habità τὸ μακροσμός, *totius universi*, vulgò
dici solet, a *edificio* comparat, respectu *corporis* potissi-
mùm, quod ante *adventum Domini ad iudicium*, tum *dis-*
cussonis, tum *retributionis*, *dissolvetur*, & ab anima sejun-
getur, ex eo fundamento, quòd animus noster in cor-
pore habitet, non tanquam in *domicilio*, aternùm du-
raturò ac perennaturò; sed tanquam in *tentorio*, quod
A 2 facile

facile de loco ad locum movetur, aut planè è medio tollitur.

IV. Addit verò, paratum nobis esse à Deo *edificium*, & *domum* ἀξιογενῶν τευ, quando nimirum *corpus* *cæleste* ac *spirituale* induemus, tunc, cum anima in die iudicii supremi ei redunietur, *immortali*, cui locus à Deo destinatus est summum cœlum, homini redivivo apprimè conveniens; quod negotium per integrum ferè caput quintum-decimum prioris Epistolæ, ad Corinthios perscriptæ, tractat, præcipuè verò commatibus 42. seqq. usque ad 49.

V. *Preparemus* igitur & nos priùs hac in vita, in *vestibulo* ædium caducarum ac manufactarum, quæ periturae sunt, ut læti aliquando, post mortem, ipsam *aulam* introeamus, ac palatium, quo in participes erimus gaudii herilis, Matth. XXV. 21. ingrediamur. Scilicet quilibet hominum caveat sibi à patratione eorum, quibus se *indignum* reddit *vitâ aternâ*, Actor. XIII. 46. quin potius *oleum lucernæ infundat*, ne quâ juxta cum quinque illis virginibus fatuis, in hac vita, *gratiâ*, in altera, *gloriâ divinâ* excidat, Matth. XXV.

VI. Cogitemus de eo, quod Patriarchæ, quorum ætatem nemo hominū superabit, nec facile attinget, ultrò professi sunt, quòd *peregrini* & *advena* simus in terra, Eb. XI. 13. ac *πρόσωπον videntes*, hanc paullò aliter ac navigâtes terram; quod nō *possessores* simus, nec *plenò jure* adhuc dum *in re* gaudeamus, sed tantummodò *jure ad rem* ac *in spe*, quamdiu peregrinamur, fruamur. *Incolatus* itaq; noster *in terris* manet, ubi hospites sumus, Ps. XXXIX. 13. *municipatus* verò *in cælis* est, neq; *terrena Jerusalem*, sed *cælica* ac *futura*, ἢ *μὲν σου*, quærenda est, ubi *Christus* est.

est, sedens ad dextram Patris, Philip. III. 20. Ebr. XII. 22.
XIII. 14.

VII. Hac fini, arrepta occasione è nuperrima pe-
ricope Evangelica, placuit de *interitu mundi, & consum-
matione seculi*, quæ sub adventum judicis summi ad su-
preum judicium, certò eventura est; ut &, quæ il-
la necessariò antecessit, *creatione ejusdem*, non nihil
dicere, adeoque *sermonem*, ut Patres quidam loqui a-
mant, *de tempore instituire*. Elegi autem commata
quædam, quæ in Psal. CII. continentur, quorum ἐξήγη-
σις præmittam, deinde potissimas controversias, quas
textus suppetit, attingam, de aliis, die aliò D. V.
השם בגבורה tractaturus, cum in præsentia spatiis ini-
quis excludar.

CAPUT PRIMUM

paraphrasin & exegesin
verborum Psalmistæ
complectens.

ANtequam tamen *hoc agamus*,
primùm de *autore* cantici, sive Psalmi,
cujus aliquot versiculos tractabimus,
dispiciendum est; prætereà conferen-
dæ erunt versiones, quæ à textu authen-
tico non parùm in quibusdam ablu-
dunt, & à vi regia aberrant, sive, ut cum Martiali *Lati-
nè* loquamur, *delirant*, quos suò locò notabimus.

II. Ex illis verò interpretibus, alii *paraphrastas* a-
gunt, & eodem ferè sermone textum, mutatis pauli-
sper verbis, reddunt; quò referendi sunt doctores E-
braei,

A 3

braei,

brai, Chaldei, nec non Thalmudicæ ac Rabbini. Alii metaphrastas, qui ipsam orationem immutant & linguam originalem, quam autor scripsit, & sensa animi sui expressit, in aliam transferunt. E quibus sunt interpretes Græci, quorum versio audit septuaginta viralis, Aquila, Symmachus, Theodotio, quos in compendium atque ordinem redegit, & in unum quasi corpus congescit Origenes Adamantius.

III. Is etenim adhibitis subinde *asteriscis, obeliscis, lemniscis ac hypolemniscis*, versionem LXX. interpretum ita correxit, è codicibus antiquissimis, ut nova planè videri posset. Opus immensi laboris aggressus fuit, stupendum planè, ast deperditum; quo in textui autentico ac originali conjunxit laudatas versiones, & in aliquot volumina distribuit, quæ à quatuor Bibliorum, Veteris Instrumenti, interpretationibus *tetrapla*; propter sex columnas, in quas singulas pagellas distinxerat autor, *hexapla*, & factâ accessione quintæ ac sextæ versionis *octapla*, olim dicebantur.

IV. Ex eo tempore numerus interpretum accrevit, utpote *Syri*, quem Thomas Erpenius, item Gabriel Sionita Edeniensis, Maronita è Monte Libano, de manu miserunt & Latio transcripserunt. Porro *Arabis*, quem è recensione Victorii Scialac, Accurensis, & curâ eorum, qui sociam ipsi operam præstiterunt, orbis legit eruditus. Ut taceam opus tessellatum, plenum variarum versionum Lutetiæ Parisiorum, paucos ante annos incudi subjectum, sumtibus & auspiciis Regiis, de quo tamen aliquis haut immeritò dixerit, quod ille apud Gellium: *tanti pœnitere non e-*
merit, ὅτι ὠνδμαί μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαι.

V. Sed

V. Sed ad rem, & è diverticulo in viam redeamus. Constat apud Ebræos diversam paullò esse rationem Psalmorum, quibus *nomen Davidis* est præfixum, ab illis, qui eodem carent. Nos hîc facillè acquiescimus sententiæ Aben Esræ, commentantis aut potius super illos præfantis: כִּי כָל מִזְמוֹר שֶׁכָּתוּב בְּרֵאשִׁי לְדָוִד: *quòd omne canticum, cui inscriptum est nomen Davidis, sit reverà ejus, ut autoris, qui illos, sive scripserit tantùm, & calamiò, ut nos hodiè solemus, exaraverit; sive etiam ore tenus recitaverit.* Legimus utique, *Spiritum sanctum loquutum fuisse* ἡ γὰρ εἶπατ' ὁ Δαβὶδ, *per os Davidis,* Act. I. 16. id est, per eum, ut organum, ac causam instrumentalem: sed illud nihil probat.

VI. Utrumque tamen conjungitur Psalmo XLV. 2. ubi autor de seipso hunc in modum loquitur: *lingua mea calamus est scribæ expeditè scribentis,* uti סוּפֵר מְחִיר rectè exponit Rasi *scribam exercitatum, pransum ac paratum,* perinde ut Ezræ VII. 6. accipitur. Chaldaus *וְהוּא פֶּקֶדֶס: sermo lingua mea festinat, sicut calamus scribæ prope-* *rantis.* Pergit Esraides: שֶׁאֵין כָּתוּב בְּרֵאשִׁי שֵׁם אֲדָם לְרוּי *forte & illa cantica Davidem habere au-* *ctorem, quibus nulla inscriptio præfixa est.* Id quod de ali- quibus concedo, quos inter est Ps. CV. qui I. *καλεῖται* *ἐκ τῶν* cap. XVI. 7. dicitur esse *Davidis;* at de omnibus nego.

VII. Falluntur enim, qui omnes Psalmos Davi- di adscribunt: כִּי כָל הַסֵּפֶר לְרוּי וְנֹאמַר בְּרוּחַ הַקֹּדֶשׁ: *quasi totus liber, nomen Davidis præ se ferens, à Spiritu sancto inspiratus, sit ejus, ut autoris.* Non minùs ac il- li, qui nullos ei tribuunt, sed compilatorem tantùm, Regem ac Prophetam, fuisse censent, atq; decem patri- archa-

archarum, vel seniorum, cantica in unum librum con-
gessisse, quorum nomina in frontispicio illorum ex
parte leguntur. כתב ספרו על ידי עשרה זקנבב

IIIX. Falluntur quoq; qui ל in לרור exponunt
per כ quasi canticum, in gratiam Davidis, à quodam
præcentore, vel phonasco, compositum, quò Græci in-
terpretes, suò interpretamentò τῷ Δαβὶδ, alludere qui-
busdam videntur, quos suò sensu abundare patimur.
Perinde ac istos, qui mediâ viâ, ut sibi imaginan-
tur, incedentes, lancem esse saturam contendunt, Da-
vidis & aliorum esse admittunt: sed ab Esdra demum
in ordinem redacta fuisse, ut integrum corpus Psalmo-
rū תהלים Tillim, digesta, pandecta; vel cento, aut centun-
culus, ex illorum mente ac principiis nominari possit;
quæ deliramenta autoribus suis remittimus.

IX. Psalmus itaque noster, è quo tantum comma-
ta nonnulla excerpere animus est, in fonte Ebræo, &
apud interpretes, quos videre licuit, Chaldæum, Sy-
rum, Arabem, itemq; Græcos, ut plures alii Psalmi, αἰ-
μίγγα est, ac titulò caret. Verosimile est, Gentem
Ebræam longò jam tempore exiliò pressam, ac penè
oppressam, homines extorres, quippe in Babyloniam
deportatos, terram peregrinam, id quicquid est canti-
ci concepisse.

X. Id quod comma primum, occasionem expo-
nens, & versus subsequentes, potissimè 15 & 16 haut ob-
scure intimant; scriptum scilicet fuisse, spatiò temporis,
vel intra circulum LXX. annorum, à Ieremia prædefi-
nitò, ac nondum elapsò. Auctorem certum & parentem
istius carminis ignoramus: at si conjecturæ locus reli-
ctus est, fortean Daniel fuit, aut aliquis è Prophetis, qui
tempore captivitatis Babylonicæ vixerunt.

XI.

XI. Verum, quicquid sit de *autore*, qui nihilominus manet θεόπνευστος, & ex inspiratione divina scripsit, quę scripsit; vel etiam de *tempore*, quod scripsit: scopus ejus est *primū*, DEO suppliciter infortunium suum exponere, quod egregiis, variisque similitudinibus, hinc inde petitis, illustravit. *Secundo*, futurum prædicere, scilicet intimando, instare tempus, quod DEUS Sionis, terrę desolatę, velit misereri.

XII. *Tertio*, conqueritur autor, nomine aliorū, de hostibus, rogans DEUM, ne immaturę, in pleno ætatis suę flore è medio tollatur, sed aliquod vitę spatiū metę jam fere decursę addatur. *Quarto* denique se solatur ex eo, quod DEUS, quia æternus est ac immortalis, æternā quoq; gratiam suis sit præstiturus, nunquam, apud omnes omninō posteros intermorituram. Atq; hic *scopus* est & sensus literalis, ab autore Epistolę ad Ebręos confirmatus, cap. I. 10. in quem paulō penitiūs inquirendum erit.

XIII. Verba textus authenticī, prout jacent, ita fluunt: לפנים הארץ יסרת ומעשה ידך שמים. הארץ יאכרו ואתה תעמד וכלם ככנר יכלו כלבוש תחליפם ויחלפו ואתה הוא ושנותיך לא יתמו. quę nos ad verbum reddimus: *ab initio creationis terrā fundasti & opus manuum tuarum sunt cęli. Hęc ipsa peribunt: tu autem permanebis, & ea omnia sicut vestimentum aliquod veterascent; ceu indumentum mutabuntur: Tu verò unus & idem manes, nec anni tui unquam te deficient, cum nulli mutationi sis obnoxius.*

XIV. Nemo non videt, de *ortu & interitu mundi* hęc sermonem esse Prophetę, quorum utrumque soli DEO, ut creatori, competit, in cujus arbitrio situm est,

B

ut

ut cœlum & terra, ex *libera voluntate*, aut existant, aut cadant; quem antea γ^N nominaverat, quod est unum è nominibus, quæ Deo propriè tribui solent, & passim à Rabbiniis recensentur, quæque Hieronymus peculiari Epistolâ exposuit.

XV. Illud ratione originationis, *fortem* denotat, ab γ^N oriundum, aut ex eo contractum. Malè itaque B. Lutherus à nonnullis malæ fidei accusatur, ac si textum propheticum Esa. IX. 6. versione suâ pervertisset, reddendo γ^N , in lingua vernacula, *Krafft* / *fortem*, subintelligendo *DEUM*, *starken GOTT* / qui est ipsa *fortitudo*, formaliter, virtualiter ac eminenter, *omnipotens & ipsa omnipotentia*, ut ut eum hac ipsa de causa *Arianismi*, hæresis nefandæ, postulaverint sycophantæ.

XVI. Constat igitur hætenus de *subjecto* prædicationis, quod nullū aliud est, quàm ipse *DEUS*; neq; tamen eos propterea reprehendimus, qui Prophetam de *Christo* hic agere putant, in quibus est D. Lucas Oslander, cujus hæc sunt verba: *Orat Ecclesia Veteris Testamenti in hoc Psalmo, pro adventu regni Messia: quia multa & magne sint miserie humani generis in his terris, quibus solus Christus, verus DEUS & homo, mederi possit: quippe cujus regnum erit beatum & æternum.* Subjungit: *Etsi autem hodiè nos in regno Christi vivimus, tamen quia nondum plenè ab omni malo liberati sumus, donec in alteram vitam ingrediamur, rectè utemur hoc Psalmo, rogaturi, ut JESUS CHRISTUS mediator & rex noster, adventum suum gloriosum accelerare velit, ut in æternum cum ipso regnemus.*

XVII. Paria ferè scribit Gilb. Genebrardus, ac de *Christi divinitate, majestate, omnipotentia*, verba nostra inter-

interpretatur. Quæ in sensu anagogicò & typicè intellecta, quòd nempe Christo, Deo & homo, quia homo, præfiguratus fuerit sub persona Judæorum captivorum, & ad necem usque damnatorū; sanò sensu admittimus, cum eventus illud tempore passionis & mortis suæ, in eo, ut antitypo, abundè comprobaverit.

XVIII. Hactenus de subjecto; sequuntur jam *predicata*, in quibus exponendis interpretes maximam partem conveniunt. Græci ita habent: κατ' ἀρχαίς σὺ κύριε τὴν γῆν ἐθμελίωσαι, καὶ ἔργα τῶν χειρῶν σου εἰσὶν οἱ ἔργνοι. αὐτοὶ ἀπολθῆναι, σὺ δὲ ἀσμελίωσαι καὶ πάντες ὡς ἱμάτιον παλαιωθήσονται, καὶ ὡσεὶ πεθόλαιον ἐλίξεις αὐτὰς, καὶ ἀλλαγήσονται. σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ, καὶ τὰ ἔτη σου σὺ ἐκλείψουσιν. Ea ferè repetuntur Ebræorum I. 10. Arabs, simia vulgati interpretis Latini, reddidit: Tu, ò Domine mi! fundasti terram ab initio; cæli sunt factura, paratura, creatura, manuum tuarum. Illi deficient: at tu eternus es. Omnes atterentur tanquam vestis, tanquam amictum complicabis eos & mutabuntur: at tu es tu, id est, tibi similis, & anni tui non consumentur. Syrus non adeò multum abludivit: Jam ante terram fundasti & opus manuum tuarum sunt cæli: illi peribunt, & tu permanes, ac omnes ii, sicut vestis, veterascent, & sicut pallium mutantur. At tu es, qui fuisti à seculo, & anni tui non deficiunt.

XIX. In paraphrasi itaque textus, vestigiis versionum pressius insistemus, & *predicata* paulò penitius intuebimur, ac pensiculabimus; quæ *eternitatem Dei* describunt I. à parte ante, quod elucet è creatione mundi. Is enim, qui extitit, antequam quicquam in rerum natura existeret, is æternus sit necessum est. Ratio est satis evidens; aliàs vel daretur *præexistentia* ejus, quod fuerit, antequam fuit; vel saltem *coexistentia* creatoris

& creaturæ ab æterno. Loquimur autem de *creatura*, ut hodiè existit, & quantum nobis de ea constat ex revelatione, in Sacris Scripturis contenta; aliàs si DEO placuisset ab æterno habitum, ut ita loquamur, sive personam *creatoris* induere, potuisset dari *creatura ab æterno*, vel, suò modò, etiam *æterna*, ante creationem ad spectabilis hujus universi.

XX. Illud verò dupliciter intelligi potest: 1. p. ut sermo sit de *virtute ac potentia creandi*, quæ Deum, utpote supremum Ens, deficere nunquam potuit. 2. de *actuali creatione*, vel *executione* ejus, quod ab omni æternitate intenderat. Hoc modò è Scripturis sacris edocti clarè & perspicuè colligimus, non voluisse DEUM hoc consilium, nisi in tempore, exequi & opus intentum perficere. Sic, verbi gratiâ, antequam res aliqua creata in mundo existeret, habebat DEUS *potestatem dominandi* super omnes res, quæ creari poterant & ex nihilo produci: non exerebat tamen illam *facultatem*, neq; exercebat *dominium* super illas, quippe nondum conditas, ac existentes; eò quod in tempore *vocavit*, hoc est, fecerit ut existerent, è *nihilo* ea creâdo, *1^o Romanor. IV. 17.*

XXI. Vocabulum *לפני* quibusdam idem est ac *sub* vel, *circa initium* temporis, *creastiboc unireversum*. Atque in re ipsa versiones planè consentiunt. Græci interpretes habent, *κατὰ δεξιάς*, *in initio* creationis, B. Lutherus, *vorhin / jam ante, vor vielen Zeiten und undenklichen Jahren*. Licet verò *cælorum præcipuè* hîc fiat mentio à Psalmodographo, in quos propriè connotata illa, *convolutio ad instar libri, circumgyratio, vel rotatio*; comparatio quoque cum *integumento* aliquo.

quo instituta, *induitio vestimenti*, quadrant: quia tamen *terra* paulò ante facta fuit mentio, illa quoque nullatenus excludenda est.

XXII. Per *cælos* alii *ærem* intelligunt, vel, *quicquid à terra ad cælum usq; interjacet spatii*, quod probabile censet Simeon de Muis. Nos à littera non recedimus, sed nomen *cæli*, prout *terra* contradistinguitur, vi oppositorum, tam diu propriè accipimus, donec contrarium evidenter è textu demonstretur. Id quoque etymologia vocum *שמים* & *שמים*, quæ non Grammaticis tantum, sed & aliis, crucem fixit, subinnuit; sicubi, ut docti hodiè persuasum sibi habent, significatio ex Arabismo petenda est. Sic enim vox *cælorum* descendit à radice, quæ *excelsum, altum* esse significat, vox *terra* ab alia, quæ *depressum, in humili loco positum*; quæ significata, ratione situationis, egregiè utrique conveniunt.

XXIII. Cæterum Judæi tres *cælos* propriè dictos, sive tot regiones, nec usq; adeò malè, cōminiscuntur; plagā *inferiorem*, quæ elementaris est, *superiorem* quæ omnium summa est, ac fortè à Divo Paulo intellecta nomine *cæli tertii*, II. Cor. XII. 2. & *mediā*, quæ orbis continet cœlestes. De *supremo* cœlo sermo hîc non est, is enim nō peribit, quippe quod sedes Angelorū ac beatorū creditur: sed de *infimo* ac *intermedio*. Fabulas Scholasticorum piget recensere, quippe *Æsopicis* longè inferiores. nesciunt enim, quæ sibi somnia fingant de cœlo *Empyreo*, stellato & *æreo*, *aqueo* & *crystallino*, & si qui alii dantur *cæli imaginarii, fictitii*, & tantum non factitii.

XXIV. Ita enim philosophantur, aut studio nugantur, quod *firmamentum* sit *cælum stellatum*, *octavam cæli sphaeram* & *nonum cælum*, quod *glaciale* vocatur, & *aqueum*,

quecum; ab aquis elementaribus dicitur; item, quod
 ויקי nihil aliud sit, quam aggregatio corporum interjecto-
 rum inter aquas caelestes & terrestres, quae sint attiguae cae-
 lo Empyreo. Sic fabula fabulam trudit, ita ut pleriq;
 aquas elementares supra caelum sibi imaginentur, inter a-
 lia argumenta, etiam hoc à derivatione vocis מים ibi &
 מים aqua, petitò. Quicquid autem de illo sit, an den-
 tur aquae ejusmodi supracaelestes, elementares tamen,
 contradistinctae pluviabilibus, an non? sufficit, quòd pro
 sententia affirmativa è voce מים quae hìc occurrit,
 nihil certi elici possit.

XXV. Nec enim rationes adeò sunt praeagnantes,
 ut illud cuivis persvadeant; quarum ferè potissima est,
 expansum à concavo Lune usq; ad octavam caeli sphaeram
 ac primum mobile dici à Mose firmamentum; nomen ve-
 rò caelorum, vel caeli, sumi ubique in propria significa-
 tione. Prodeat è quamplurimis Ludovicus Molina,
 de opere sex dierum, disputatione II. è quo petiit, quae
 habet, Petrus Hurdato de Mendoza, eandem materi-
 am tractans, disput. III. sect. III. de caelo, qui ex funda-
 mentis, si diis placet, immotis, disputant, in loco Gene-
 seos c. I. 7. decantato, fundari creationem caeli, terra & a-
 quarum supracaelestium, quia firmamentum factum sit in
 medio aquarum, è quibus aliae remanserunt supra firma-
 mentum, aliae infra, teste Moysè, utpote qui statuat aquas
 elementares in & sub caelo. de quo liceat nobis dubitare,
 cum Aristotele l. I. de caelo, c. 9. textu 97. qui nullum
 corpus esse extra caelum extimum, neq; omninò esse posse, di-
 fertè scribit: μηδὲν σῶμα εἶναι ἔξω τῆ ἕργων, μήτε ἐνδέχε-
 σθαι γενέσθαι.

XXVI. Quid etenim obstat, quò minus per vocem
 Ebraeam

Ebraeam □ □ □ totum hoc *expansum caelorum, at herei*
& *aërii, aut aërem intelligamus?* id quod viris cordatis,
Jano Clementi Drusio ad Pentateuchum, Sixtino ab
Amama, in Antibarbaro Biblico, & sequacibus pla-
cuit.

XXVII. Addimus è sociennis Franciscum Soare-
zium, disputationum Metaphysicarum XIII. sectione
XI. n. XXXIII. cui *ea sententia semper placuit, quæ negat,*
esse supra caelos at hereos veras & elementares aquas, quia
oppositum non habet in scriptura sufficiens fundamentum.
Necnon Gvilielmum Estium, super l. II. sententia-
rum commentantem, distinctione XIV. §. 1. & 2.
supra caelum stellarum aquas existere, nullus sensus, nulla ex-
perientia nobis renunciat; ratio v. ipsa etiam reclamat,
cum sit contra naturam corporis gravis, ut supra caelos, ex-
tra mundum elementaq; perpetuò maneat.

XXVIII. Ipse igitur in eorum sententiam descendit,
qui per *aquas, quæ sunt super firmamentum, intelligunt*
nubes supra aërem hunc infimum sublimes, & omninò totam
illam ex vaporibus in altum elevatis collectam, humidam
& aquosam mediæ regionis aëris constitutionem. Id
quod latè probat & objectiones adversariorum,
sic satis confutat, in materia problematica strenuus
disputator. Nos Catone nostrò contenti erimus, nec
litem illam nostram faciemus: attamen loca
quædam huic nostro parallela, è Psalmis Davidicis à
Mendoza, Becano, Morisano & mille aliis adducta, vi-
debimus, necnon, an & quæ vis probandi illis infit, di-
spiciemus.

XXIX. Urgent i. diversam esse rationem illorum
locorum, ubi □ □ & □ □ *disjunctim leguntur, &*
ubi

ubi שמי קיע conjunguntur, uti Gen. I. 20. qui locus tñ. necessariò, non de *cælo aethereo*, sed *aëreo*, sive *aëre* intelligendus est, quippe in quo aves volitant, infra nubes, & unde *aqua* לעל *desuper* cadunt, de nubibus quasi fluentes ac inde oriundæ. Neq; novū est, quandoque conjungi voces, quæ ejusdem sunt significatūs, uti *petra silicis*, *volumen libri*, i. e. *petra*, *silex*, *volumen*, *liber*. An verò hoc locò *firmamentum cæli*, tanquam duo synonyma, ען אֶת־הַשָּׁמַיִם posita, connectantur, ita ut *expansum cælorum*, idem sit atque *extensum*, quod est *cælum*, uti nonnullis videtur, disquiri permittimus.

XXX. Audiamus intereà Rabbinos super Genesin cōmentātes, ex iis AbenEsrā; *expansū hoc nihil aliud est, quàm aër*, & Jarchi: *non dicitur* לעל *super* sed לעל *desuper*, proptereà quòd *aqua illa in aëre pendule sint ac suspensa*; itē Kimchi ad alium Psalmum: *aër verissimè appellatur expansum*, sicut Gen. I. 6 8. Psalm. XIX. 1. 10. Cū itaque nomen שמי voci קיע in eodem significatu quandoque respondeat, non possumus videre, cur non alicubi nomine *aëris* utraq; vox venire possit, & quidem in eadem oratione, ubi contextus non manifestè repugnat.

XXXI. Prætereà 2. proferri solet locus alius parallelus, è Ps. CIV. 2 3. quem Vulgatus reddidit: *extendens cælum sicut pellem*, qui tegit aquis superiora ejus. Vertere debuisset: *DEUS, qui extendit cælum, sicut cortinā, qui contignat in aquis cœnacula sua*. Paria leguntur apud Prophetam Esaiam c. XL 22. *qui extendit, velut conopæum, cælos, & distendit eos, sicut tentorium ad habitationem*. Siquidem totus Psalmus agit, ὕπερ τῆς τῆς κόσμου συστάσεως, de constitutione mundi, in quo autor, *Dei sapientiam,*
poten-

potentiam, bonitatem & providentiam, quæ ex opificio mundi elucet, celebrat & commendat.

XXXIII. Postquam enim *אֵלֶּיךָ אִמְרָתָא דְּיָוָה*, nostrò concipiendi modò, *vestes & tentorium* Dei descripserat, nunc porro *cœnacula, currum, equos, nuntios ac ministros* ei attribuit. Non multum à vero hîc aberrat, aberrat tamen, Muissius, scribens: *in aquis, hoc est, in nubibus, quæ, ut physici loquuntur, essentialiter sunt aqua, sunt q̄, velut tabulatum super terram, ut in iis jure meritò hîc dicatur Deus sua cœnacula contignasse.* Huc referenda sunt verba Psalmistæ: *qui ponit nubes currum suum id est, qui nubibus, quasi curru, vebitur.* Ps. CIV. 3.

XXXIV. Longè firmus fundamentum, pro sententia affirmativa, Psal. CXLVIII. continetur v. 4. ubi laudes indicuntur *cœlis cœlorum, & aquis, quæ super cœlos sunt.* R. David Kimchi hîc ex mente sapientum suorum refert, intelligendum esse *supremum cœlorum*: & illud est secundum Rabbinos, *animarum*, non corporum; *supremum gradu, non locò.* Ex illorum itaq; sententia, *aqua immaterialis* fingenda foret, æquè ac apud Mosen locò laudatò.

XXXV. Ezra verò & alii *coelum cœlorum* infra *coelos* collocant & putant, esse *sphæram ignis*, vicinam *orbi lune*; *coelum* autem simpliciter sic dictum, nihil aliud esse, quàm *aërem*, uti Gen. I. 20. accipitur. Porrò *aquas, quæ super coelos sunt*, exponit *כְּרוּר הַקָּרָח* five, ut alii vocant *כְּרוּר הַסְּגִרִיר* *frigidam aëris regionem*, ubi *gignitur pluvia*, inter *sphæram ignis & aërem nobis proximum mediam, & hunc extremum locum esse.* Satius tamen esse censet Kimchi, intelligere per *aquas istas locum ultimum in aëre, quò nubes possunt pertingere, ubi illa in-*

C *aquas*

aquas resolvuntur ac postmodum naturâ suâ in terram decidunt, non quòd illic *aliud* sit *corpus*, quàm *aër*, nisi distinctum qualitate.

XXVI. Papæi modò *chrySTALLinum*, seu *aqueum* *coelum*, modò *Empyreum* intelligunt. Est, qui *coelum coeli*, siquidem vox $\square \text{D} \text{W}$ est numeri multitudinis, explicat, per *sphæras* & *orbes coelestes*, collectivè sumtos, & *aquas super aërem* collocat. Verùm, si *orbes* intelligit reales, falsus est; si intellectuales, nō adeò multum refragamur *de super aërem* aquas dari. Ast manum de tabula, cùm physicam Christianam scribere nostri instituti non sit, quin potiùs in textu nostro progrediamur, & consideremus *æternitatem DEI*.

XXXVII. II. à parte post, quòd *interitus mundi creati* fat luculenter probat ac evincit, cui opponitur *duratio interminabilis creatoris*. Is enim, in cuius arbitrio situm est *abolere* illud, quòd semel *creavit*, sive quòd *è nihilo* fecit, *in nihilum* rursus *redigere*, *æternus* esse censendus est, nemine hominum contradicente. Quasi diceret propheta, vel quicumque autor est Psalmi: *coelè à suo statu, in quo nunc sunt, recedent & instar vestimenti ambigvabuntur*, quòd, cùm per vetustatem detritum fuerit, refarciendum est.

XXXVIII. Sic & illi, cùm ad consummationem seculi perventum fuerit, *immutabuntur* ad novitatem majoris gloriæ: *Tu verò in æternum durabis, anni tui, queis in omnes periodi ac circuli comprehenduntur, finem non sortientur*, sicut nec unquã habuerunt initium. Es enim qui es, fuisti qui fuisti, eris qui eris, Exodi III. 14. Deus immutabilis, æternus, immortalis, quòd etiam locum habet in *Christo*, secundùm *divinitatem* consideratò.

XXXIX.

XXXIX. De his *coelis*, non exclusivè, sed inclusivè acceptis, ita ut *terra* simul connotetur, dicitur perituros esse; sive illa interitura esse, quæ sunt in cælo & in terra. Dupliciter enim intelligi potest, mundum esse periturum; vel ratione *continentis*, quod est ipse orbis adspectabilis, è cælo & terrâ constans; vel ratione *contentorum* in iisdem, uti sunt omnia corpora mixta, in quibus etiam est homo. Utroq; respectu est *opus manuum* divinarum & creatura Dei, quod tamen *θεοπεποιτος* est intelligendum, quatenus per *manus, brachium, dextram DEI*, nihil aliud intelligitur, quam ejus virtus & potentia infinita.

XL. Jam quæritur, an hæc machina mundi, ut *continens* est, loquendo ex concessis, una cum *contentis*; sive, ut alii loquuntur, mundus *extensivè & intensivè* consideratus, sit aliquando interiturus, secundum *substantiam*, an secundum *qualitates* tantum? Prius, qui adserunt, *hominem* ad minimum excipiant, necessum habent, quippè qui in die supremo judicii extremi resurget & *immortalis* reddetur ac *incorruptibilis*, 1. Cor. XV. 53. *oportet enim corruptibile corpus induere incorruptibilitatem, & mortale induere immortalitatem.* Posterius qui defendunt, excipiunt *coelum*, utpote corpus simplex, una cum *elementis*, quæ illis non videntur corruptibilia esse, cum ex aliis principiis non constent, in quæ resolvi possint.

XLI. Quibusdam viris & Theologis eximiis placet, τὸ ἐπέχειν, an scilicet κατ' ἰστίαν, an verò κατ' ποιότη-
tas totum hoc universum sit, Deo ita volente, aliquando interiturum, id quod neq; nobis displicet. Sunt alii, qui tanquam pro aris & focis dimicant, univ-
sum

sum hoc Φ θ ρ α essentiali & omnimoda corruptione, secundum substantiam, in ultimo illo censorio die consumtum *iii.*

XLII. De rationibus à *Ratione* deductis, imprensens non erimus solliciti, cum pro utraq; parte sat speciosa militent, quas tractant Soarius, Estius & alii sed quæ à *Revelatione* petuntur. Inter sacrae verò scripturae dicta familiam ducit hic noster, quem tractamus, locum, è quo hunc in modum colligunt: *Quod uni oppositorum tribuitur, id alteri protinus detrahendum est, & vice versa. Manere autem quoad essentiam hic DEO tribuitur. Et tale manere quoad essentiam coelis detrahendum erit.*

XLIII. Urgent itaque ex hoc ipso textu *quinq;* ut loquuntur, *indicia*, pro sua sententia, 1. verbum, emphaticum *peribunt*. 2. verbum $\eta\eta$ quod *vetustate atteri, corrumpi, tandemque aboleri*, etiam *in nihilum redigi*, significat. 3. oppositionem $\text{I}\delta$ *permanere*. 4. explicationem oppositionis in his verbis: *& annui non deficient*. 5. denique formam mutationis expressam: *sicut indumentum mutabis eos*: nam vestimenta, quando mutantur, planè abjiciuntur & alia nova in veterum abjectorum locum assumuntur. Huic adjungunt alia loca, inter ea, *quæ novi coeli ac novæ terræ creationem intimant*, passim *obvia*.

XLIV. Sed enim neque illis, qui, quantum ad hoc problema attinet, in diversum abeunt, desunt responsiones ac rationes, quas in contrarium adducere possunt. De forma adducti argumenti, non est quod multum laboremus, quando quidem mens sana est, & facile syllogismo includi potest: *Quæ ratione Propheeta dicit DEUM permansurum, eâ ratione dicit terram hanc*
&

Et coelum peritura. Atqui Propbeta dicit, DEUM perman-
surum, non aliqua ex parte duntaxat; secundum accidentia,
Et ἡ ποιότης; sed secundum suam essentiam. E. Propbeta
non dicit, hanc terram Et coelum interitura duntaxat ex a-
liqua parte, secundum accidentia Et ἡ ποιότης, sed interi-
tura totali interitu Et ἡ ἰσότης. Ratio Majoris est:
alias enim vis oppositionis inter ἢ perire & inter ἢ
permanere evanesceret.

XLV. Supponendum ante omnia est, hanc pro-
positionem: *coelo sunt corruptibiles*, quantum ad præ-
sens, dupliciter intelligi posse: 1. ratione *intrinseci*
principii; positio enim, quod cœli nunquam actu sint
interituri, non tamen sequitur, eos esse *incorruptibiles*,
quantum attinet naturam & substantiam ac disposi-
tionem eorundem. 2. respectu habitio ad *extrinsecam*;
quis enim divinæ voluntati præscribere conabitur, si-
quidem certò nobis constat, *peritura esse coelum, terram,*
mare & quæ in illis continentur; licet de modo, aut de
tempore, nihil quicquam certi nobis promittere possi-
mus, in quibus etiam scriptura nos jubet quiescere. Si-
quidem *de die illo ac hora nemo scit, ne Angeli quidem, qui*
in coelo sunt, neque ipse Filius, sed pater, Marci XIII. 32.

XLVI. Ad collectionem posset aliquis replicare
ac reponere, admittendo, quod eadem ratione *mun-*
us sit periturus, quâ Deus permanensur. Nimirum, sicut
hic erit & manebit *in æternum unus & idem*, quemad-
modum *ab æterno*, longè ante creationem mundi, fu-
it planè *immutabilis*, in quem nulla omninò mutatio
cadit: ita coelum & terram, quæ in tempore esse cœpe-
runt, non mansura semper una & eadem. Sed uti na-
turâ suâ *mutabilia* sunt: ita etiam actu aliquando *im-*
mu-

mutanda esse. Et videntur sanè verba posteriora esse ex-
egetica priorum: *illos* cœlos, vel, si masculinum stat pro
neutro, *illa*, cœlum & terram *mutabis*, tanquam *indu-*
mentum aliquod, & mutabuntur, uti versiones textui au-
thentico respondent, & sensus est: *te faciente abscedent*.
Græci quidem habent ἐλίξεις, quod in textum irrepsit
pro ἀλλάξεις.

XLVII. Sicuti enim terra dicitur כַּיְסֵף *jam olim*
fundata, indeq; καταβολή jactum fundamentum τὸ κόσμος
mūdi, dicitur, sumtâ similitudine ab ædificiis: ita quoq;
stabit, cadetve. Et sicuti *cœlum*, quod non *supremam*
regionem, sedem divinæ majestatis ac Angelorum desi-
gnat & aliquando beatorum: sed *aër & æther* sub illo no-
mine intelligenda sunt, quæ terram quasi *vestiunt*, ini-
tium habuere; ita quoque finem suò tempore, soli
Deo cognitò, habebunt. Unde etiam sumta est simi-
litudò: vestes enim, antequam pereant, veterascunt,
dum enim novum dicitur, antiquatur prius; porro, quod an-
tiquatur & senescit, prope est, ut evanescat, secundum
scriptorem Epistolæ ad Ebræos cap. VIII. 13.

XLVIII. Sic etiam *aëris & ætheris vires* minuen-
tur. Vestes, ubi usui amplius non sunt, solent com-
plicari & abjici, non autem in nihilum statim redigi,
quod nec כַּלֵּב importat, cujus diversa sunt significata,
uti nec כַּל quod, & non significat, & nihil proorsus. Sic &
aër & æther auferentur, παρελεύσονται, *transibunt*, I. Petr.
III. 10. Atque hæc excipi possunt ad *judicia superius*
recensita, quæ quidem interitum cœlorum, quos corrupti-
biles esse per divinam potentiam, non obstante incor-
ruptibilitate naturali, jam ante, sed cum grano salis, admi-
simus, cum non de substantia facti, aut futuritione, sed de
modo

modo interitus quærat: nam quòd non implicet contradictionem, mundum interire posse, nec paganus quidem, vel Mohammedanus, temerè negaverit.

XLIX. Placet apponere iudicium D. Chytrai, b. m. idque lectori relinquere, cõmentantis super Apocalypsin c. XXI pag. 397. *Ut tempore diluvii Petrus mundum in aquis peruisse dicit, qui tamen non planè extirctus & in nihilum redactus est, & homines impios in die illa perituros esse affirmat, quorum tamen natura perpetuò manebit: sic præsens cælum & terra igni non ita consumetur, ut planè nihil futurũ sit, sed purgabitur & renovabitur, ut eadem materia cæli aërei, & cæterorum elementorum, quæ aquis diluvii antea obruta fuerunt, & quia fuit obnoxia corruptioni, nunc sit immortalis & incorruptibilis, & mundus hic perpetuum theatrum sapientia & bonitatis divina permaneat.* R. David Kimchi notat, posse verba nostra conditionaliter intelligi: *si volet Deus.* Quasi dicat: ex se cæli sunt corruptibiles, & nisi tu eos conservares, perirent.

L. Nos quamvis *Sceptici* non simus, nihilominus tamen in re, maximè controversa, non dubitamus uti formulâ veteri: *Non LIQUET, & addere aliam cui BONO?* Quin potius potentia & providentia divina illud committimus, quippe in cuius manu, virtute ac arbitrio est, è non-Ente facere ut existat, & rursus ex Ente, sive eo quod est, facere ut non existat. Argumenta interim, tam pro ea sententia, quæ *mutationem mundi* quam vocant, *substantialem*, quam pro ista, quæ *accidentalem* tantum fore astruit, militantia, in conflictu, datâ occasione, ponderaturi sumus. Pergimus enim ad

CAPUT

CAPUT ALTERUM,
Unam alteramve controversiam è textu
eliciens & decidens, moralibus quibusdam
adjectis.

I.

Cum potissimas controversias textuales, in para-
phrasi & exegesi, jamdum paucis tractaverimus, e-
as, quæ restare videntur, cursim ac properatim confi-
derabimus. Daretur nobis occasio dicendi 1. de eo,
an *mundus ab eterno fuerit conditus*? Si quæstio facti
est, reclamât Sacra Scriptura, sub initium Genes^{is},
verbò כְּרִשְׁתִּי quò Græci interpretes respexerunt,
quando reddiderunt κατ' ἀρχαίς, *sub initium*, hujus u-
niversi. De mente Aristotelis videantur & videant Phi-
losophi, præcipuè Itali, Fortunius Licetus, alii, qui par-
tes ejus defendendas susceperunt, & ab imputationib;
ac improperiis nonnullorū eum liberare conati sunt.

II. Addere possemus cognatam quæstionem, quæ
tamen nullum habet usum, quò *annò, mense, die, mun-*
dus aliquando sit interiturus? Qui in hæc talia myste-
ria penetrare audent, operam & oleum perdunt. Scur-
ris ac nebulonibus satis fecit S. Petrus, epistolæ poste-
rioris cap. III. Curiosis, si qui sunt, respondeat Lucas ex
ore Christi, Actor. 1.7. *non est vestrum, nosse tempora,*
χρόνος ἢ καιρός, hoc est, *tempus certò à Deo præstitutum,*
uti Danielis VII. 12. haut paullò aliter accipitur:
עד-זמן ועד-עד ad quem locum paraphrastes Joseph Ja-
chiades commentatur: זמן ועד והוא רבו לעת
וזמן מוגבל וקצר אשר מלכו הג' מלביות הקודמות
usq; ad prædefinitum tem-
pus.

pus: quo designatur praedeterminatio temporis, illudque breve,
quo regnarunt tria priora regna, quorum postea removerunt
dominium Romani.

III. Facile enim conciliantur & ratione phrasæ, quæ nihil aliud sibi vult aut importat, quam stabilitatem ac perpetuitatem, statum, quam diu Deo visum fuerit, perennaturum. Nulla hinc seculo futuro tempus determinatur, nulla presenti, quæ hodiè ejusdem facies est. Quæstio autem non est de principio essendi, quod Deus est, includendo Christum, quæ Deum; neque de principio cognoscendi, quod sacra Scriptura est: Sed de principio temporis vel cujuslibet rei origine, ejusdem termino ac fine, quem Deus cuilibet creaturæ præfixit, & quem illa non est præteritura, non magis, quam homo.

IV. Hæc occasione excutiendus hic nobis venit III. locus, cetera valdè obscurus, qui in epistola, à D. Paulo ad Romanos scripta, capite VIII. versiculis 18, 19. & seqq. continetur. Paucis nos expediemus. Qui per ἁγγέλων Angelos tantum intelligunt, quorum non adeò multi sunt, manifestò ex ipso textu confutantur, qui πῦσι κτίσις habet, nullam omninò creaturam excludens: perinde ut illi, qui intelligunt Christianos, ut novas creaturas; cum distinguantur ἢ κτίσις & υἱοὶ τοῦ θεοῦ, creatura & Filius DEI, per quos non solum animæ intelligi possunt, sed totus homo, corpore & animâ constans. Verius omninò nobis videtur, intelligi כּרִירוֹ hoc universum, quod conspicitur, non excludendo creaturas, utpote res in eo contentas, quò sensu legimus Matth. XXVIII. 19. omnem creaturam, כּל בּרִירוֹ putam rationalem, baptizandam esse, & quoad ejus capax est, edocendam.

D

V.

V. Sic itaque *vanitati*, variis rerum vicibus, *mundus* subest, inconstantia & mutabilitati; cum *totum* hoc *vanitas* sit *vanissima*, Ecclesiastæ 1, 2. quia scilicet in orbem redeunt universa, alia gignuntur, alia intereunt, animalia, homo, bruta: plantæ ceteraque vegetabilia, metalla, mineralia, quin & partes aliqua terræ, maris, & si secundum nonnullos licet amplius adscendere, aëris, cœli, siderum, ex veterum quorundam sententia. Expectatur autem post *ἐκπύρωσιν*, purgationem hujus universi, quæ fiet *per ignem*, melior puriorque machina, *cœli novi*, & *terra nova*, in quibus *justitia* inhabitat, juxta loca Petrinum & Apocalypica. Ubi ex Ebraismo nova rerum summa, alius *arum* status & ratio intelligi possunt, non verò necesse *variè* in cœlum & terram, prout hodiè sunt, distincta.

VI. Dicuntur autem creaturæ *ἐκπύρωσιν* per *ἐκπύρωσιν*, quàm mirè delectantur. Psalmistæ & Apostolus, *attentè expectare*, cui respondeat, quod Luc. XXI. 29. Salvator jubet: *ἀνακύψατε ἡ ἑσπέραις τὰς κεφαλὰς ὑμῶν*, ut solent, qui de loco superiore liberam rationem expectant. *Vanitas & corruptio* illa intelligi potest, secundum *aptitudinem*, non statim secundum *accidens*; quia, quod de nihilo factum est, in nihilum potest naturaliter redire. Quamvis nō à principio *intrinseco*, vel à causa *extrinseca naturali*, si sit intrinsecè incorruptibilis, ut Angelus, anima humana, cœlum, cui associantur à nonnullis *elementa*, quæ cum dubiâ nitantur hypothese, si loco relinquimus: quæ universaliter intellecta, vana esse censemus & explodenda, quæ tamen leguntur apud Joh. Lorinum in commento.

VII. Finis hujus desiderii exprimitur ab Apostolo

Io, esse *patrafactionem filiorum Dei*, i. e. tempus illud, quo omnibus apparebit, *filios Dei* esse, qui hodiè sunt quidè, sed esse tales à mundanis non creduntur, quo de *Joannes* rhetoricatur epistolæ prioris c. III 2. *dilecti, nunc filii Dei sumus, sed nondum manifestum factum est, quod erimus: scimus autem fore, ut, cum ipse factus fuerit manifestus, similes ei simus.* Reformabitur itaq; natura in statum meliorem, tunc, cum homines reformabuntur, *con en'ou, nolens volens,* siquidem quodlibet amat sui conservationem: quia tamen caduca sunt, quæ cunq; in mundo sunt, à Deo creata; maximè à tempore peccati, à protoplastis patrati.

VIII. Spe itaque non vanâ ducimur, hoc universum liberatum iri ab hac *servitute*, quam *libertatem* accipiet, ubi *filii Dei* ad gloriam illam infinitam pervenerint. Huc omnes mundi partes votis precibusq; contendunt, eò suspirant, & veluti montes, colles, ceteraque creaturæ, *foemina parturientis* ad instar, desiderant, ut tandem à servitio & onere, cui succumbunt, liberentur. Sic & nos cum D. Paulo inter eà temporis *gemimus II. Cor. V 2, 4.* & suspiramus, ut plenam & perfectam *usobso'ia, filiationem* ac adoptionem, vel cooptationem in numerū filiorum Dei aspirantes, quod fiet in resurrectione, ubi *salvi* erimus, non amplius in spe, sed gaudebimus plenè *jure salutis in re.*

IX. Homo igitur quid es? *mens induta carne, vas spiritale, sensile domicilium, breve habitaculum, anima ad labres nata, fortuna ludibrium, temporis cura, instrumentum osseum, vitæ explorator, lucis desertor, terra creditum.* Quid verò mundus? *incomprehensibilis complexio, structura mente contemplanda, altitudo oculis inaccessible,*

*cessa, ex se natum spectaculum, αὐτογενήτων θεώρημα, mul-
 tiformis figuratio, æternus tenor, almus æther, multipar-
 titus spiritus, septivagus circuitus; sol, lumen, dies, luna,
 stella, tenebra, nox,; terra, ignis, aqua, aër. Quid igi-
 tur terra? cæli basis, speculatio sine fundo, radicatio æ-
 rea, gymnasium vite, luna pervigilium, σελήνης πανύψιστος
 spectaculum visu incomprehensibile, imbrium nutrix, fru-
 gum mater, inferorum operculum, custodia æterna, spatium
 multarum ditionum, generatio & receptaculum rerum omni-
 um, uti eleganter differit Secundus Atheniensis Sophi-
 sta in suis sententijs.*

X. Latere itaque homo, hac terrâ pereunte, mane-
 bis, resurges & cum conditore & fundatore hujus cœ-
 li ac hujus terrę in æternum vives. INTEREÀ MOR-
 TALITATEM ET ÆTERNITATEM COGITA. Hæc est
 illa beata vita, in qua vita nulla mors; dies, nulla nox;
 securitas, nullus timor; jucunditas, nullus dolor;
 tranquillitas, nullus labor; pulchritudo, nulla defor-
 mitas; fortitudo, nulla debilitas; rectitudo, nulla per-
 versitas. Christus ibi est bonitas sine malitia, veri-
 tas sine fallacia; felicitas sine miseria; gaudebis ibi ob
 loci amœnitatem, quam possidebis; ob jucundam so-
 cietatem in qua regnabis; ob corporis glorificatio-
 nem quam habebis; ob mundum, quem contemnes;
 ob infernum, quem evades; imò adde, ob DEUM,
 quem in seculum seculi videbis. Ah quando eò veni-
 emus, ut faciem magni DEI nostri, cum omnibus ac
 singulis angelis & electis, in æternum Deum collau-
 dantes, in illa vera beata vita videamus. Conclu-
 damus verbis Monica, matris Augustini: **E-
 VOLEMUS HINC, EVOLEMUS HINC!**

SOLI DEO GLORIA.





AB : 53557


ULB Halle 3
004 480 082



sb

1017







Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

18

ATIO
ALIS,

26. 27. 28. Psalmi
ituenda,

de Facultatis Theo-
ia Jenensi,

mo atq. Excellentissimo

ETOBIA

celeberrimo, P.P.

ucalium Ephoro emi-
otore suo aternum

bris

iori, horis

anis,

ulo

LATI

a ritè

chibet

SS. Theol. Baccalaureus,
Crimmizensis.

IANO exscripta.

LI.

